

S T A T U S C A U S Æ  
Pro Generoso Ordine Equestri Curlandiae & Semigalliae  
uti Parte actoreæ,  
C O N T R A.

Generosos Henricum ab Offenberg Oberburgräbium ceu putativum  
Landhoffmeisterum, Franciscum Georgium, Frank Landmareschallum,  
ceu putativum Oberburgrabium, Ottomem Friedericum Safs,  
Capitaneum Majorem Tukumensem, ceu putativum  
Landmareschallum, & Joannem Ernestum Klop-  
man putativum Cancellarium Citatos.

**G**enerosi Consiliarii Supremi Curlandiae in Juramento ante ingressum Officii præstanto promittere debent, quod Ordinationes & Privilegia secundum Pacta subjectionis, Formulam Regiminis, Decisiones Commisoriales, Jura & Consuetudines tam omnium in genere incolarum, quam unuscujusq; in specie, cum omni fidelitate debitè observare, & eo in casu si aliquid quod huic contrarium esset, fieret vel intenderetur, suam Ducalem Illustratatem desuper tenore Formulae Regiminis tempestivè & cum fundamento præmonere, omnemq; operam navare vellent, ut id intermittatur. Quæ si omnia absq; effectu essent, ad S. R. Majestatem ut potè Dominum Supremum & Directum recurrere, atq; vi juramenti præstiti debitè fideliter ac ingenuè, omnia deferre, & remedium quærere.

Cum itaq; Illusterrimus Dux Ernestus Joannes Ann̄ 1763. Incolas hujus Provinciae violentis mediis ad obedientiam sibi præstandam cogeret, contra Pacta Subjectionis, Privilegia Nobilitatis, Formulam Regiminis, & Decisiones Commisoriales, complures Nobiles bona Ducalia cum contractibus ad certos Annos bona fide possidentes, ante elapsum tempus in Contractibus definitum, his possessionibus violento modo spoliaret, illisq; magna damna inferret, alias vero ad iteratam solutionem locarii jam in Camera Ducali antea soluti ad stringeret, ac complures Nobiles Officia publica gerentes, sine iusta legitimaq; causa, & sine Judicio his Officiis quoq; spoliaret, &

quidem illo tempore quo adhuc ipse Illustrissimus Dux à Supremo & Directo Domino, pro Duce Curlandiæ non agnoscebatur, & antequam per ultimas Constitutiones pro tali Duce declaratus esset, debuissent illo tempore omnino Illustrissimi Ducis Consiliarii Supremi tenore Juramenti à se præstati suam Ducalem Illustritatem admonere, omnemq; operam navare, ut prædictas violentias intermitteret, & si hæc admonitio absq; eff. eti fuisse, debuissent ad S. R. Majestatem uti Dominum Supremum & Directum vi Juramenti præstati omnia deferre.

Sed prædicti Generosi Consiliarii Supremi non solum hæc omnia qæ secundum juramenta à se præstata observare, & facere debuissent intermisserunt; sed potius adhuc ipsi in his violentiis, spoliis, & attentatis committendis, authores & suasores fuerunt, dum ilud Laudum de die 19. Julij Annò 1763. in quo istud Conclusum de Nobilibus officia publica gerentibus, sine iusta legitimaq; causa & sine Judicio, his Officiis spoliandis continetur, propriis manib; subscripsierunt, & sigillorum suorum appressione confirmarunt, & dum Generosus ab Offenberg Oberburgrabiis, incompetenter officium Landhoffmeisteri sibi arrogavit, & supra commemoratorum Officii Capitaneatus aliis Nobilibus tradendo, eosq; solenniter introducendo, tot iterata spolia commisit.

Præterea Generosi Consiliarii Supremi debuissent eo allaborare, ut gravamina manifesta tollerentur, & ut turbata tranquillitas publica iterum restitueretur; sed illi suis consiliis abolitionem gravaminum ex Conventu publico suæ Dacali Illustritati die 20. Martii a. c. transmissorum, & perinde restituendam concordiam & tranquillitatem publicam potius impediverunt, & sic ulterioribus dissidijs anam præbuerunt, uti hoc patet ex Manifestatione à Generoso Ordo Equestris die 28. Martii a. c. coram Notario publico interposita; Legatur hæc Manifestatio.

Proinde Generosus Ordo Equestris in Conventu publico Mita viae congregatus die 4. Mensis Maji, supra nominatis Consiliariis

Supre-

Supremis Mandatum Citationis ad Judicia Relationum S. R. Majestatis propriarum per Ministerialem generalem insinuari fecerunt. In qua Citatione sequentes cathegoriae continentur:

Quarum prima est: Quod Generosi Consiliarii Supremi contra Pacta Subjectionis, Privilegia Nobilitatis, Formulam Regiminis, Decisiones Commissoriales, & sic contra Juramenta ab illis praestita, Illustrissimo Duci Ernesto Joanni authores, & suosores fuerint, ut supra commemoratas violentias committeret, per quas securitas, & tranquillitas publica turbata est.

Secunda cathegoria est: quod modo dicti Consiliarii Supremi in quodam Laudo de die 19. Julii Annò 1763. cum Illustrissimo Duce, & cum parte Nobilitatis confecto, de Nobilibus officia publica gerentibus, sine justa legitimaq; causa, & sine Judicio his officiis spoliandis, contra supra allegata jura, & Privilegia, & sic contra Juramentum ab illis praestitum constituerint.

Tertia cathegoria est: Quod Generosus ab Offenberg Oberburgabius Officium Landhoffmeisteri in competenter sibi arrogaverit, & supra commemoratorum Officialium Capitaneatus aliis Nobilibus tradendo, eosq; introducendo, tot iterata Ipolia commiserit, atq; sic primarius promotor, & adjutor Ipoliorum fuerit.

Quarta Cathegoria est: Quod Consiliarii Supremi Gravamina bus in Conventu publico exhibitis, tam occasionem prebuerint, quam etiam circa Gravamina ista amovenda ut partium illorum fuisset Consiliis suis commoda, & jura hujus Provincie non observaverint, sive contra Juramenta ab ipsis praestita, leges Cardinales hujus Provincie cum omni fidelitate debite non observaverint, & Jura, Privilegia ac Prerogativas Nobilitatis violaverint.

Omnes haec Cathegoriae ex notorietate & ex Manifestationibus à Generosa Nobilitate coram Notario publico interpositis constat, ac à parte citata negari non possunt.

Proinde humillime petitur, istud Conclusum in praedicto Laudo contra Formulam Regiminis, & Jura ac Privilegia Nobilitatis

factum; pro invalido declarari; plenariam Restitutionem omnium Nobilium spoliatorum in pristinam possessionem bonorum Ducalium, & Officiorum publicorum; cum omni causa decernere, Generosos Consiliarios Supremos nunc citatos, ad resarcienda omnia damnata à Generosa Nobilitate adhuc consignanda, ut & in poenas legum, ac ad refusionem sumptuum litis temerè causatorum, qui ad minimum duo millia aureorum hungaricalium efficiunt condemnare.

*Nota.*

Jura & leges ad Casum praesentem applicabiles, sunt sequentes.  
1. In Privilegio à Divo Serenissimo Rege Sigismundo Augusto Nobilitati A. 1561. dato & confirmato; sequentia continentur.

§. 18.

Cum digna vox Mijestate Regnantis sit, fateri; Imperium subiectum esse legibus; ne deinceps ullus Princeps, ullus Magistratus, siue inferior, vel quivis alius, extra cognitionem cause Nobiles, Vassallos, vel quovis alios possessionibus temere exuat, spolietyl; sed si quid juris in alium habere quisquam putat, hoc ipsum coram Judicio ordinario Senatorum Majestatis Vestre Regiae vel Provinciali conventu experiatur. Non enim aequaliter est, ut in propria causa quis ipse sit judex. &c.

§. 19.

Ut nullus cujuscunq; eminentiae aut conditionis existat, personis, castris, domibus, aut possessionibus alicujus ullam violentiam inferre incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere presumat. Qui autem super his convictus, ut juxta leges, capitis poena plestatur &c.

2. In Formula Regiminis sequentia inveniuntur:

§. 12.

Nemo omnium sive Nobilium sive incolarum bonis suis sine legitima cognitione & judicio privetur.

§. 19.

Rilis

Si lis inter Principem & Nobilem sive unum sive plures de possessionibus aliisq[ue] rebus orta fuerit, causa ea immedie coram S.R.Majestate intentabitur.

§. 7.

Neque vero quisquam sive Consiliariorum sive Capitaneorum com memoratorum omnium, absq[ue] gravi & justa legitimaq[ue] causa, de qua Princeps cum Consiliariis & quatuor Capitaneis Majoribas cognoscet, loco movebitur, &c.

§. 27.

In Conventibus nihil decernatur, quod Paetis subjectionis fundamentalibus, & Ducalibus investituris, & hanc Regiminis Formæ, aut Ordinationi sit contrarium, horum enim omnium æterna authoritas esse & conservari debet.

3. In Juribus & Legibus in usum Nobilitatis Curlandiae & Semigalliae promulgatis, sequens sanctio facta est.

§. 212.

Invasores rerum, suarum proprietatum dominium perdant, alienatum autem, jure quo habuerunt priventur, & præter rem invasam, aestimatione ejus rei invasæ multentur, &c.

Cum Divus Illustrissimus Dux Ferdinandus Gedanni permaneret, & ad ejusdem Mandata in Curlandiam transmissa, diversi Nobiles Officia publica gerentes, sine justa legitimaq[ue] causa, & sine Judicio his officiis privarentur, complures Nobiles possessionibus bonorum Ducalium justo titulo & bona fide habitis spoliarentur, multaq[ue] alia Gramina contra jura & Privilegia Nobilitatis cumulata essent; Generofus Ordo Equestris per Delegatum Varsaviam transmissum, hæc omnia ad S. R. Mitem uti Supremum & Directum Dominum deferebat, ad humillimasq[ue] preces obtinebat, ut ex Comitiis Regni Generalibus certi Commissarii Authoritate S. R. Mts & Serenissimæ Reipublicæ muniti, & constituti in Curlandiam mitterentur, qui A. 1717. secundum Constitutorum illis datum, in Curlandia omnes Nobiles spoliatos in pristinam possessionem Officiorum publicorum, & bonorum Ducalium illis ademptorum, cum damnis ac sumptibus causatis ple-

nariè

nariē restituebant, per Decisiones Commissoriales in vim perpetuae legis promulgatas omnia gravamina Generosi Ordinis Equestris abolebant, omnes supra allegatas leges & sanctiones, ex Privilegio Nobilitatis, & Formula Regiminis, repetebant, renovabant, & confirmabant, ac in pristinam orbitam redigebant, simul autem pro melioratione statū & pro omnimoda securitate publica conservanda, ea quæ justa & necessaria erant constituebant,

In his Decisionibus Commissorialibus ratione securitatis Nobilium bona Ducalia justo titulo, & bona fide possidentium, ut & Officia publica gerentium sequentia sancta & ordinata sunt.

*Ad Gravamen 2.*

Nos eo attento, quod causæ expulsionum & spoliorum quæ habetens expediri potuerunt, jam sunt per Judicium nostrum decisæ, & Decreta Reinductionum ad executionem deducta, ideo standum esse eisdem decernimus &c &c. Consalendo quoq; indemnitati & securitati quorumcunq; possessorum bonorum Ducalium, nè amplies Illusterrimus Princeps, eosdem in possessionibus suis quovis colore defacto turbare, & inquietare, multo minus de possessionibus dejicere, per se, suosq; Officiales, ac quascunq; personas subordinatas audeat, sub animadversione S. R. Mtis inhibemus.

*Ad Gravamen 12.*

Et quia in sequenti duodecimo Gravamine cum immediatè praecedenti connexo, querulatur Generosus Equestris Ordo, quod contra Formulam Regiminis multi ex prædictis Officialibus absq; ullo Judicio remoti sint, & nonnulli constituti qui in Curlandia & Semigallia non sunt possessionati, &c &c. Ne vero quisquam imposterum Cuti habetens factum, & luculenter demonstratum est, sive Consiliariorum, sive Capitanorum omnium, absq; gravi & justa legitima quæ causa, de qua Princeps præsens in Ducatu & investitus cum Consiliariis, & quatuor Capitanis Majoribus, vel absente & minorenne necdumq; investito Principe, soli Consiliarii Supremi Regentes, adjunctis Capitanis Majoribus cognoscent, loco moveatur, Formulæ

Re-

Regiminis sum cum innovamus, reassumimus, & respectivè declaramus.

Dum Illustrissimi Domini Commissarii A. 1717. in Curlandia efsent, ibiq; negotia in Conflitutorio S. R. M. sibi commissa expedirent, Generosi Consiliarii Supremi illius temporis, cana Generoso Ordine Equestri in Conventu publico congregato, quendam actum Compositionis inter se iniverant, qui ad petitam utriusq; partis actis Commissionis insertus, & in vim perpetuā valoris & roboris Authoritate Commissoriali rati habitus & confirmatus est. Et in hoc Actu Compositionis Paragraphus tertius sequentia continet:

Affecurant Magnifici Domini Consiliarii Supremi Generosum Ordinem Equitrem, se in futurum omni sedulitate eo allaboraturos esse, ne quis Officialium absq; Judicio, & causa cognitione, ab Officio suo vel directe vel indirecte, removeatur, & casu quo talia ulterius attentarentur indilatam & sufficientem remonstrationem praeslituros, & in quantum haec acceptata non fuerit, S. R. Mti, extra moram supplicando relatuos, & Clementissimum eorum remedium petituos esse.

Harumq; Decisionum Commissorialium Conclusio est sequentis tenoris.

Cum igitur omnia quæ ita à Nobis Authoritate Commissoriali in perpetuum legis vigorem constituta sunt, Pactis primævæ subjectionis, Formulae Regiminis, Decisioni Commissoriali de A. 1642. aliujq; Juri publico, Justitiæ atq; æquitati conformia, & quæcumq; devia ex tenore Constitutionis Novellæ, & Constitutiorum Regii per ea in priorem orbitam reducta sunt. Itac; confirmando simul omnia ac singula, quæ in moderno & prioribus Conventibus publicis Regiis cum Generosis Consiliariis Regentibus, à Generoso Ordine Equestri conclusa, ut quævis in iis contenta ac ordinata accurate observentur, iisq; plenissime satisfiat, & ne ab eis ullo in puncto recedatur, vel præjudiciorum quid in Generosum Equestrem Ordinem, vel calculationum Deputatos, vel Generosi Ordinis Equestris Plenipotentiarios & Patronos Cau-

se contra protectoriales literas S. R. M. quas hisce renovamus,  
& reasumimus, in securitatis publicae eversionem, Decisionumq;  
Nostrarum derogationem suscipiatur, sed juxta illa protectoria-  
lia S. R. M. tam generalia quam specialia, eaq; quæ à Nobis  
constituta & ordinata sunt, universis & singulis omnimoda secu-  
ritas præstetur, neq; in specie ab Illustrissimo Duce, vel succes-  
soribus ejus huic contrarium aliquid fiat, aut attentetur, Eadem  
vel iisdem, sub amissione feudi, & Generosis Consiliariis Regen-  
tibus, ut talia sollicitè præcaveant, atq; serio avertant, nec ulla  
ratione admittant, sub confiscatione bonorum, alliisq; gravissimis  
S. R. M. arbitrariis pennis, super iis irremissibiliter extendendis,  
coeteris vero Officialibus, & quibuscumq; aliis, nè operam præ-  
stant, ut ejusmodi eveniant, sub poena infamiae & colli S. R. M.  
et Republicæ nomine, et Authoritate, serio præcipimus, manda-  
mus, inhibemus, et statuimus.

Hæ Decisiones Commissionariales à tempore promulgationis in Cur-  
landia receptæ, et jam ultra quadraginta octo annos, in pleno usu et  
authoritate fuerunt, ut etiam Consiliarii Supremi, et omnes Capitanei  
Majores et minores, nec non alii Officiales, in Juramentis ante in-  
gressum officii præstandis jurare et promittere debuerint, et adhuc  
debeant, quod Decisiones Commissionariales observare velint. Et  
postquam per Constitutionem Regni de A. 1736. omnia Jura, et Pri-  
vilegia Curlandiae, sine ulla exceptione confirmata sunt, planè nullum  
est dubium sub hac generali confirmatione etiam has Decisiones Com-  
missionariales contineri.

Otto Christophorus ab Howen.

Minister Status Electoralis Saxoniae. Land-  
hoffmeisterus, Consiliarius Supremus, ac  
Delegatus Generosi Ordinis Equestris, et  
jusdemq; Plenipotentiarius,

Varsavia die 1. Octobris

Anno 1765.

# M A N I F E S T A T I O

&

# P R O T E S T A T I O

Generosi Ordinis Equestris,  
contra Generosos Consiliarios Supremos.

Anno 1765, die 28, Mensis Martii, requirebat Personam & Officium Regii Secretariatus & Notariatus publici meum, Generosus Ordo Equestris Ducatum Curlandiæ & Semigalliae, in Conventu publico usque ad diem 5tum hujus Mensis & anni limitato, congregatus, ut me ad Stabam Nunciorum terrestrium Mitaviæ conferrem, ibique in parata copia pluribus inferebat. Qua ratione Ejusdem Consultationes, solummodo ad restitutionem tranquillitatis & concordiae, inter Provinciæ membra, & ad conservacionem fuorum jurium & privilegiorum tendentes, per quandam inopinatam Illustrissimi Ducis declarationem, diversis prætensis imputationibus, contra Generosum Ordinem Equestrum repletam, & die 26, Martii Anno 1765 ad Stabam Nunciorum transmissam interruptæ, contra quam autem competentia juris remedia jam adhibita essent. Postquam vero etiam Consiliarii Supremi, modo dictæ declarationi Ducali per quandam confessionem scriptam, de die 22. Martii 1765. adstipulari, ac hinc contra officia in Formula Regiminis illis injuncta, restituendam tranquillitatem & concordiam impedire non dubitaverunt; Proinde Generosus Ordo Equestris in his rerum circumstantiis se coactum sentiret, contra hunc illicitem actum Generosorum Consiliariorum Supremorum, & contra fictas imputationes Generoso

Generoso Ordini Equestri factas, propter quas Conventus publicus turbari voluit, & contra omnia inde oriunda præjudicia sibi praecavere, solenniter protestari, & propterea actionem competentem & omnia jura juriūque beneficia, ac remedia salva, contra quem & quoscunque de meliori modo reservare. Siquidem hoc realiter faciebat, cum petito, ut hanc illius Manifestationem, Protestationem, & Jurium reservationem, alioque quocunque jure salvo, ad acta recipere, & desuper quoties necessarium fuerit, testimoniales fide dignas, extraderem. Quæ etiam acceptatione legaliter facta, & prævia actuatione more solito, hisce extraditæ sunt. Actum Mitaviae ut supra.

(L. S.)

Theophilus Werner  
Sæ Ræ Mts Scrs actualis & Notarius publs juratus.

mpp.